



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiariam, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Additiones.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13591

controversia est, reperitur, quòd in Mundiburdium ac defensionem, Imp. ac Regum Romanorum recepta, regia dicerentur Monasteria, vt Ebersperg, Tegernsee & alia &c. pleriq; etiam veterum Imp. ac Regum ante Palatinos Wildspacen, Ducatum Bauariae tenebant, ac per vicarios suos administrabant, quorum iura in Ottonem Wildspachium, ac suos Successores transfusa sunt, & vt cunq; sit, Principes Bauariae se longissima possessione ac praescriptione ultra trecentos annos, scientibus ac patientibus Rom. Imperatoribus ac Regibus extensa, defendere ac tueri possunt &c. sub iudice adhuclis pendet hoc an. 1579. dispensatum est cum Monasterio hoc propter esum carniū, quem ante annos 40. vsurpauerant, per D. Laurentium Campegiū, Cardinalem Legatum Apostolicum anno 1522.

Benefactores huius Monasterij, quorum ibi memoria habetur.

Conradus Comes de Wasserburg, cum consensu vxoris Dominæ Kunegundis, multa bona, praedia ac curias contulit Rotensi Monasterio anno 1230, iuxta diplomata ibi. Ego ita puto, citra tamen veritatis praedudium, Fundatores huius Monasterij fuisse de eadem familia, & eorundem insignium, de quo vide latius, Comites de Wasserburg, in libro meo primo Genealogiarum Bauaricarum.

Benefactores & qui ibi sepulti sunt.

OTTO Liber de Stainhart.

BERCHTOLDVS de Vagen.

CONRADVS de Sächsenkam.

WALTHER, Otmar, Othackher de Schaltorff.

IOANNES Schonstetter,

HECTOR Schonstetter,

PETRVS Schonstetter Anno 1440.


HECTOR, Ioannes, Erasmus Schonstetter de Warnpach, Anno 1466.

Anno 1255.

ADDITIONES.

Innoctius Episcopus seruus seruorum Dei dilectis Filijs Bertrico Abbati Rotensis Monasterij eiusq; fratribus tam praesentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Religiosis desideriis dignum est facilem praebere consensum, vt fidelis deuotio celerem sortiatur effectum. Ea propter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus, clementer annuimus, & praefatum sanctorum Marini & Aniani Monasterium, in quo diuino maicipati estis obsequio sub B. Petri & nostra protectione suscipimus & praesentis scripti priuilegio comunimus. Statuentes vt quascunq; possessiones, quacunque bona idem Monasterium in praesentiarum iuste & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis vestrisq; successoribus, & illibata permaneant. Sancimus etiam vt ordo monasticus secundum B. Benedicti regulam perpetuis ibi temporibus inuiolabiliter conseruetur atque nulli fratrum post factam professionem proprium quid habere liceat, sed in Abbatis sui obedientia cum omni humilitate permaneat. Laborum quoq; vestrorum quos propriis manibus, aut sumptibus, colitis, siue de nutrimentis vestrorum animalium nullus omnino clericus vel laicus decimas a vobis exigere praesumat. Obeunte vero te nunc eiusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia vel violentia preponatur, sed liceat vobis communi consilio & parti consilij sanioris, secundum Dei timorem & B. Benedicti regulam absq; vllius contradictione Abbatem eligere. Porro loci vestri aduocatum nullus inuadere vel v-

surpare præsumat, nisi quem Abbas & fratres secundum Deum & utilitatem ipsius Monasterij ibi prouiderint eligendum. Decernimus ergò ut nulli omninò hominum liceat præfatum Monasterium temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conseruentur eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt vsibus omnimodis profutura. Ad iudicium autem huius à sede Apostolica perceptæ protectionis bizantium aureum nobis nostris que successoribus, annaliter persoluetis. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisue persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptauerit, secundo tertiò & commonita, si non satisfactione congrua emendauerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere, de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta seruantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum benedictionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inueniant Amen.



Ego Innocentius Catholice Ecclesie
Episcopus ff.



- ✠ Ego *Stefanus Prenesinus* Episcopus ff.
- ✠ Ego *Guido* sanctæ Rom. Ecclesie indignus sacerdos ff.
- ✠ Ego *Boetius* presb. Card. et. S. *Clem.* ff.
- ✠ Ego *Lubaldus* Diac. Card. S. *Maria in uia lata* ff.
- ✠ Ego *Octavianus* Diac. Card. S. *Nicolai in Carcere* ff.
- ✠ Ego *Guido* presb. Card. et. S. *Grisogoni* ff.
- ✠ Ego *Petrus* Diac. Card. S. *Maria in porticu* ff.

Dat. Lat. per manum *Gerardi* sanctæ Romanæ Ecclesie presb. Card. ac Bibliothecarij. VIII. Idus Decembr. Ind. VI. Incarnat. Dominica, anno M. C. XLIII. Pontificatus verò Dñi *Innocentij* II. PP. an. XIII.

EVGENIVS Episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis *Lotario Rotensis* Monasterij Abbati eiusque fratribus, tam præsentibus, quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum. Quotiens illud à nobis petitur quod religioni & honestati conuenire dinoscitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Eapropter dilecti in Domino filij uestris iustis postulationibus clementer annuimus, & felicitis memorie PP. *Innocentij* prædecessoris nostri uestigis inhaerentes *Rotense* Monasterium, in quo diuino mancipati estis obsequio sub B. *Petri* & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti patrocinio communimus. In primis siquidē statuentes ut ordo mōasticus qui secundū Dei timorē & B. *Benedicti* regulā in eodē loco auctore Dño institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur. Præterea quascunq; possessiones, quascunq; bona eadem Ecclesia in præsentiarū iustē & canonicē possidet, aut in futurū concessione Pontificū, largitione Regū uel Principū, oblatione fidelū seu aliis iustis modis præstante Domino

Domino poterit adipisci firma vobis vestrisq; successorib; & illibata perman-
ant. In quib; hæc propriis duximus vocabulis annotada. Locū qui dicitur *Rota*
in quo ipsa Abbatia sita est cum Ecclesiis, decimis, terminis & ceteris pertinētis
suis. in parochia *Chemeringen*. triginta mansos cū parte Ecclesiæ *S. Panchratij*, de-
cimis & appendiciis suis. *Beusteten*. *Outingen*. *Aske*. *Niuuarn*. cum Ecclesia eiusdē
loci, decimis & appendiciis suis. *Volchmaristorff*. cū vineis & agris vinitorū. *Eri-
gelteshusen*. cum Ecclesia eiusdē loci, decimis & appendiciis suis. Prædiū quod
appellatur *Rota* adiacens *Glane* flumini cum Ecclesia *S. Georgii* decimis & appē-
diciis suis. *Harde*. *Brunnintal*. Mansū, apud *Trubtheringen*. *Heilspendorf*. *Tuntinbusē*.
Warte. *Veristeten*. *Wachreine*. *Durholz*. *Walshe*. *Cholental*. Totum *Bilereffe*. cum Eccle-
sia eiusdem loci, decimis & appendiciis suis. In *Luichental*. *Stegen*. *Wisnchsruvanch*.
Criesennooue. *Grantorve*. *Barne*. & quicquid illustri memoria *Cono* Palatin⁹ *Co-
mes* Ecclesiæ vestræ fundator à *Strichen* vsq; *Iohperch* iuste habuerat, pia vobis ab
eo deuotione concessum præter vnam mansionem apud *Wisnchsruvanch*, apud
Halle patellam salis, & locum patellæ. In monte qui dicitur *Ritino* vinum mansū.
In *Bozen* curiam & vineas. In *Hartperch*. sex vineas & agros. *Chostingen* & *Ratispone*,
curiam iuxta *S. Cassianum*, cum atrio per circuitū & ædificiis. Sane laborū vestro-
rum quos propriis manib; aut sumptib; colitis, siue de nutrimentis vestrorum
animalium nullus à vobis decimas præsumat exigere. Sepulturā quoque ipsius
loci liberam esse sancimus, vt eorum qui se illic sepeliri deliberauerint deu-
otioni & extremæ voluntati nisi excommunicati sint nullus obfistat. salua tamē iu-
stitia matricis Ecclesiæ. Porro loci vestri aduocatiā nullus inuadere vel vsur-
pare præsumat, nisi quem Abbas & fratres secundum Dñi & ipsius Monasterij
vtilitatem elegerint. Obeunte verò te nunc eiusdem loci Abbate, aut tuorum
quolibet successorū null⁹ ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia ppona-
tur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilij sanioris se-
cundum Dei timorem & B. Benedicti regulam præuiderint eligendum. Decer-
nimus ergo vt nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temere per-
turbare aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu aliquib;
vexationib; fatigare, sed oīa integra conseruentur eorum pro quorum guber-
natione concessa sunt vsib; oīmodis profutura. Salua Diœcesanorum Episco-
porum canonica iustitia & reuerentia. Ad iudicium verò perceptæ huius à se de
apostolica protectionis Bizantium aureum nobis nostrisque successorib; an-
naliter persoluetis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisue persona
hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tempta-
uerit, secundò tertidūe cōmōnita nisi satisfactione congrua emendauerit po-
testatis honorisq; sui dignitate careat, reamq; se diuino iudicio existere de ppe-
trata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini
redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ
vltioni subiaceat. Cunctis autē eidē loco sua iura seruantibus, sit pax Dñi nostri
Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud distri-
ctum iudicem præmia æternæ pacis inueniant, Amen.



Metrop. Salzb. Tom. III.

Ego *Eugenius* Catholica Ecclesiæ
Episcopus ss.



- ✠ Ego *Gregorius* presb. Card. tt. *Calixti* ff.
- ✠ Ego *Imarius Tusculanensis* Episcopus ff.
- ✠ Ego *Otto* Diac. Card. S. *Georgij ad velum aureum* ff.
- ✠ Ego *Nicolaus Albanus* Episcopus ff.
- ✠ Ego *Guido* Diac. Card. S. *Mariae in proticu* ff.
- ✠ Ego *Guido* presb. Card. tt. pastorum ff.
- ✠ Ego *Bernardus* presb. Card. tt. S. *Clementis* ff.
- ✠ Ego *Jordanus* presb. tt. S. *Susanna* ff.
- ✠ Ego *Octavianus* presb. Card. tt. S. *Ceciliae* ff.
- ✠ Ego *Ceneius* Diac. Card. S. *Romanae Ecclesiae* ff.

Dat. *Ferentini* per manum *Bosonis* S. Romanæ Ecclesiæ scriptoris. III. Kal. Aprilis. Indict. XIV. Incarnationis Dominicæ An. M. C. LI. Pontificatus verò Dñi *Eugenij* PP. III. anno septimo.

F*Ridericus* Dei gratia *Romanus*: Imperator semper Augustus, *Ierusalem & Siciliae* Rex. Inter actus nostros multiplices quib. nostræ dignitatis titulus exaltatur illud nobis est perpetuo gloriosum in terris & perpetuo retributivum in cælis quod ad utilitatem sanctarum Ecclesiarum Dei, nostris felicibus temporibus, operamur. Hinc est igitur quod notum esse volumus vniuersis fidelibus nostris per Imperium constitutis tam præsentibus, quàm futuris quod *Fridericus* venerabilis Abbas *Rotensis* Monasterij fidelis noster ad præsentiam nostram accedens, ostendit nobis quoddam priuilegium Majestati nostræ supplicans humiliter & deuotè vt priuilegium ipsum eidem Monasterio suo confirmare de nostra gratia dignaremur, cuius tenor talis est. In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis *Heinricus* diuina fauente clementia quartus *Romanorum* Augustus, Regalis dignitas & Imperialis Maiestas ad hoc diuinitus ordinata est vt superbiorum temeritatem comprimat, fidelium verò deuotionem maximèque Deo famularium humilitatem pia defensione muniat, roboret, atque confirmet. Ideo fidelis nostri *Cononis* Palatini memoriam posteris scripto transmittimus, quæ propterea semper in benedictione erit, quia Deum & sanctum *Petrum* omnium rerum suarum hæredem reliquit. habuit enim duos liberos quib. substantiam suam diuisit. *Cononem* scilicet & *Irmingardam*, quæ cum marito traderetur, portionem sibi debitam accepit & de parte reliqua omnem calumniam legitime refutauit. Deinde filius quoque duxit vxorem, celebratisq; nuptiis dum multi conuenissent, inierunt consilium parentes cum filio & nuru sua ne in die bonorum immemores essent malorum, & vt illi qui omnia dedit aliqua tribueret. Conuenerunt ergo in hoc. vt in loco & fundo qui dicitur *Rota* quem præterfluit *Enis* fluuius qui est in Comitatu *Arnolphi* Comitis Monasterium construerent ibiq; Monachos Deo famulantes aggregaret. Placuit hoc filio, placuit nurui, simulque cum parentibus ad altare sanctorum *Mavini & Aniani* procedentes tradiderunt Deo & sanctis eius quicquid in Regno nostro possideret si absq; liberis obirent. Nurus quoq; dotè quam ex marito acceperat, Monasterio in legitimam possessionem tradidit cum omni patrimonio quod in Lothoringia possederat si ex eodè marito *Conone* liberos non generaret. Euolutis aut aliquot dieb. filius ad seruiciũ nostrũ vocatus in bello cecidit, & sic omnis hæreditas ad Monasterij ius cui traditum fuerat rediit. Orbatus verò pater tota mente ad Deum conuertitur sublatoq; corpore filij & assumpta nuru quæ sine prole remanserat ad Monasterium properat, exequias celebrat, celebratisq; exequiis, traditionem renouat, dat locer hereditatem, nurus dotè, non conditionaliter vt prius, sed perfectè Deo & sanctis eius in perpetuũ. Offeruntur viri militares, qui dicitur *Mini-*

Acta.

steriales, cum prædiis & possessionibus suis quos Domi forisq̄e custodes late-
ris habebat quibus etiam iura statuit vt Monasterij gloriam teneant & Abbati-
bus libere ac regulariter substituendis honesto loco gradu & ordine deseruiant.
Traduntur familiæ diuersi sexus & ætatis quibus etiam tertiam partem serui-
cij sui relaxauit, hiisque dispositis condicionem consumat, & prædia nota-
ta inferius DEO & fratribus regulariter viuentibus confert. *Roth* in quo est
monasterium cum. Ecclesijs, decimis, terminis & appendicijs suis, in paro-
chia *ehemeringen* XXX mansos cum parte Ecclesiæ, decimis, terminis, & ap-
pendicijs suis. *Badersteten*, *Oringen*, *Aske*, *Nuiuarn* cum Ecclesia, decimis, terminis,
& appendicijs suis. *Volchmaristorff* cum vineis & agris vinitorum. *Herigoltshu-
sen* cum ecclesia, decimis, terminis & appendicijs suis. *Rota* quod adiacet *Glanc*
flumini cum Ecclesia, decimis, terminis, & appendicijs suis. *Harde*, *Brunnmüll*,
Helpendorff, *Tocinhusen*, *Warte*, *Versteten*, *Wachreine*, *Ourbolz*, *Walbesé*, *Chol-
letal*, *Bilereffe* per totum cum ecclesia, decimis, terminis, & appendicijs suis.
In *Luichental*, *Stegen*, *Wischvanch*, *Criesenouue*, *Grantouue*, *Barne*, & quic-
quid *Astrichen* vlque ad *Lohperch* habuerat præter vnã mansionem apud *W-
sichvanch* quam filio ad pernoctandum tradiderat, cum de loco ad locum
transiret. Apud *Halle* patellam salis, & locum patelle. In *Stubeia* duos man-
sos. In *Wibetal* stabularem curiam, ad *stones* duos mansos, ad valles in monte
qui dicitur *ritino* quinque mansos. Ad *susan* in *Bolen*. curiam & vineas. in *Ca-
rimthia* castrum quod dicitur *Vrsen* & circa castrum sexaginta mansos, iuxta *Mo-
ram* fluum *Flachsaba* dicitur *Liesniche*, *Meiszenstein*. in marchia iuxta *Rabam* flu-
uium *Chuninberge* cum terminis & appendicijs. In oriente *Breitenouue*,
Suarzaha, *Luiprandstorff*, *Snozindorff*, *Hederischevverde*. Iuxta *Danubium*
versus Vngariam *Viskahagemunde*. *Chrunbinuzboroune* cum terminis & appen-
dicijs suis. In *Tongouue* curiam. Ad *Grüninbach* sex vineas. Ad *Hurperch* cum vi-
neis agris vinitorum vltra *Chambe*, *Chostingen* & *neulvveringen* cum ecclesia, de-
cimatione, theloneo, terminis & appendicijs suis, iuxta fluum quod dicitur
Naba Vndechestorff curiam suam, *Ratisbone* iuxta sanctum *Casianum* cum
altero per circuitum & ædificijs. In *Surreuia* villam quæ dicitur *Lillingen*. Hæc
omnia cum omni iure tradidit, cum areis & ædificijs, agris, campis,
pratis, molendinis, aquis aquarumue decursibus, siluis, venationibus, se-
ctione, saginatione, & quæ habentur, vel haberi possunt in legitima posses-
sione *Rotensis* Monasterij, de quibus etiam Nurus sua *Elisabeth* statim mona-
sterium inuestiuit, & postea in beneficium accepit. His ergo prædijs atq̄e
redditibus cui fidelis *Rotense* monasterium fundauit, ac fundatum beato *Petro*
ac *Romana* ecclesiæ tradidit per manum *Eberhardi* de *Razenhouen* qui & pri-
mus bizancium annuatim persoluendum. *Lateranensi* palacio persoluit ac
sic loco atque familiæ tutelam apostolicæ defensionis obtinuit. Obtinuit quo-
que Monasterio liberam Abbatis electionem, baptismum, sepulturam & vt ad-
uocatum non habeant, nisi quem velint, quia iam legitima successio aduocato-
rum cessauerat mortuo sine liberis filio, & ad filios filix jus illud non pertine-
bat, his ita peractis nostram præsentiam adiit, nostraq̄e Imperiali auctoritate
hæc omnia roborari expetiuit. Nos verò deuotione tanti Principis exhilarati,
ac petitione eius inducti Pontificialem auctoritatem nostra auctoritate
munuimus, & quicquid concessit concessimus, statuentes vt nulla ec-
clesiastica secularisue persona audeat præfati Monasterij iura infringere,
personas turbare, possessiones inuadere, minuere, auferre, vel ablata
retinere, terminos cohibere, vel transgredi, nec vllam possessis
vel in futurum possidendis violentiam inferre. Si quis hanc nostræ

constitutionis paginam sciens *Rotense* Monasterium infestare presumpserit, veniat super illum apostolica maledictio, nostriq; violati edicti dura compositio noueritq; se multatum centum libris auri, cuius medietas nostræ cameræ, alterum verò medium fratrum vsibus persoluetur. Hoc ergo vt firmiter teneatur lociq; libertas, pax & securitas omni æuo stabilis & inconuulsa permaneant, hanc præsentem nostræ constitutionis paginam inde conscribi fecimus, nostriq; sigilli impressione signari.

R
N
C
I
S

Signum Domini *Heinrici* Regis inuictissimi. *Egilbertus* Cancellarius vice *Willigisi* Archicapellani recognouit. Dat. Non. Sept. anno Dominicæ Incarnationis M. LXXIII. Indiæ. XI. Anno autem Regni Domini *Heinrici* XX. Actum *Ratisbone* feliciter amen. Præsidente *Rome* apostolicam sedem *Gregorio* VII. qui & *Hilprandus*. Vnde nos supplicationes deuotas præfati Abbatis *Friderici* misericorditer admittentes pro conseruatione factis nostræ & pro remedio animarum diuorum augustorum parentum nostrorum recolendæ memoriæ prædictum priuilegium præter clausulam ubi erat rasura de nostra gratia confirmantes, sigillo maiestatis nostræ iussimus communiri. Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis Millefim. Ducentel. uicesimo sexto. Mense Marcij, quartædecimæ Indiæ.

Regnante Domino nostro *Frid* Dei gratia inuictissimo Romanorum Imperatore semper Augusto *Hierusalem & Sicilia* Rege. Imperij eius anno sexto. Regni *Hierusalem* primo. Regni verò *Siciliæ* uicesimo octauo feliciter Amen.

S
R
E
A

Signum Domini *Friderici* secundi Inuictissimi Rom. Imp. semper Aug. *Hierusalem & Sicil.* Regis. Huius autem relictos sunt *Rotensis* Episcopus vener. Abbas sancti *Galli*, dilectus Princeps noster, *Renaldus* Dux *Spoleti* & frater *Hermannus* vener. Magister sancte *Mariæ* Domus hospitalis theutonicorum in *Hierusalem*. Dat. apud *Piscariam* Anno ----- mense ----- & Indictione ----- prædictis.

F *Fridericus* Dei gratia Rom. Imperator semper Augustus *Hierusalem & Sicilia* Rex. Per præsens scriptum nouerit uniuersorum fidelium præsens ætas & successiva posteritas, quod dilectus fidelis noster *Fridericus* vener. Abbas *Rotensis* ecclesie, ad præsentiam nostram accedens proposuit coram nobis qualiter quondam quidam Palatinus *Cono* nomine, filio eius *Conone* in bello & seruitio Imperij decedente, *Rotensem* Ecclesiam pia prouisione fundauerit & in decessu suo, cum hæredem aliquem non haberet, eandem ecclesiam sub tuitione Imperij duxerit conferendam, eo uidelicet tenore, vt quæcunq; ad eiusdem loci defensionem, abbas qui constitutus esset, ibi pro tempore, peteret aduocatiã, ab imperio reciperet & haberet, super quo prædecessor noster *Heinricus* quartus Romanorum Imperator diuæ recordationis Augustus pro eo quod *Cono* filius prædicti Palatini *Cononis* in seruitio suo ceciderat, suum clementer assensum præstitit & munimen, pro vt in priuilegio suo eidem ecclesie indulto plenius continetur. Cuius priuilegij confirmationem, idem Abbas à liberalitate nostra pro prædicta ecclesia sua extitit assecutus. Præterea memoratus Abbas coram nobis proposuit conquerendo quod dilecto principe nostro Imperij quondam vener. *Ratisbon.* Episcopo, qui prædicti loci aduocatiã, ab Imperio sibi colla-

collatam rexerat, rebus humanis exempto, quidam Ministerialium ducis *Bavariae Volricus* nomine insitit apud Regem filium nostrum, quod sine requisitione prædicti Abbatis inuestiuit cum saluo tamen mandato & voluntate nostra. Quidam etiam alius Ministerialis eiusdem Ducis *Alhardus* nomine prædictam aduocatiã detinere contendebat, prætendens concessionem Comitis de *Tirol* prædicto *Ratisbonensi* Episcopo superstiti ipsi factam. Cumque dictus Abbas priuilegia sua Curia nostra ostendit quibus eadem ecclesia sua præcipue in facto aduocatię exitit præmunica celsitudini nostræ attentius supplicauit, quatenus super indemnitate ipsius Monasterij dignaremur misericorditer providere. Nos itaque priuilegijs eius inspectis & cognitis rationibus quas super eiusdem loci aduocatiã euidenter ostendit, suis iustis supplicationibus annuentes, & inuestiturã Regis filij nostri quam saluo mandato & voluntate nostra fecerat, & quicquid inde per Comitem de *Tirol* in præiudiciũ ipsius ecclesię attemptatum fuerat, vt ab eodem Comite sine postulatione Abbatis contra tenorem priuilegiõrum eiusdem ecclesię illicitè impetratum de consilio Principum tunc temporis in curia nostra presentium in irritum reuocantes, pronunciamus vt prædictus Abbas *Rotensis* ecclesię, quem uellet ad eiusdem ecclesię suę defensionem postulari iuxta consuetudinem aduocatum. Verum quia dictus Abbas ad ipsius aduocatię regimen Imperium postulauit, & nos eandem ecclesiam sub tuitione nostra recepimus & fauore, ne pro absentia nostra grauamen & iacturam aliquam sustineret, ad postulationem dicti Abbatis eandem aduocatiã in *Rote*, dilecto fideli nostro Comiti *Con. de Wazzeburch* contulimus, etiam tuendam commissimus loco nostri. Tali uidelicet modo, vt ea quæ ad imperium de ipsa aduocatiã spectant, quamdiu idem Comes uixerit cedant ipsi. Nec liceat ei aliud quia nostro Imperio pertineret, occasione ipsius aduocatię, ab eadem *Rotensi* ecclesia indebitè extorquere, vel eam indebitis exactionibus aggravare. Qui si contra præsentis commissionis nostræ paginam attemptaret, Abbas prædicti loci potestatem habeat à nob. & ab imperio petendi alium aduocatum, ubi de manifesto grauamine & indebitis exactionibus eiusdem Comitis nobis & Imperio constiterit manifestè. Prohibemus insuper vt Abbas & Conuentus ipsius ecclesię contra eundem Comitem ex maliuolentia, vel instinctu aliquo non procedant. Statuimus autem & præsentis scripti auctoritate sancimus, vt si prædictus Comes *Con.* hæredes post se dimiserit qui ad ipsius *Rotens.* ecclesię tuitionem sufficientes & idonei habeantur, ad postulationem dicti Abbatis in aduocatiã ipsa pro parte Imperij dicto patri suo succedant, eadem statuta nostra quæ indicta sunt patri, & sub conditione simili seruaturi. Ad huius itaque collationis & commissionis nostræ memoriam & stabilem firmitatem duo consimilia scripta fieri fecimus, & sigilli nostri robore iussimus communiri. Quorum alterum prædicto Abbati & ecclesię suę, reliquum dicto Comiti, ad communem eorum cautelam indulgimus conseruanda. Testes autem sunt A. Vener. *Magdeburg.* Archiepiscopus. A. *Warmatien.* & R. *Curenfis* Episcopi. L. *Langrauius* *Turingia.* A. Dux *Saxonie.* R. Dux *Spoleti.* & *Bert.* frater eius. *Hermannus* Marchio de *Baden.* S. Comes de *Vienn.* & frater eius. Comes *Mainardus* de *Gorze.* Comes C. de *Wallerpure* & quamplures alij qui interfuerunt. Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis Millesimo ducentesimo vicesimo sexto. Mens. Maij, quartadecima indictione. Imperante Domino *Friederico* Dei gratia inuictissimo *Roman.* Imperatore semper Augusto. *Hierusalem* & *Sicilia* Rege. ann. eius in Imperio sexto, in regno *Hierusalem,* primo, in regno uero *Sicilia* vicesimo octauo, feliciter Amen. Data in ciuitate *Parm.* Annis, Mens. & Indictione præscriptis.

Vniuer.

VNiuerſis ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ filiis, F. Dei gratia *Rotenſis* Abbas ſalu-
tem in uero ſalutari, & continuum orationum munus indefeſſum. Quo-
niam omnis humana conditio per temporum ſucceſſiones decedit & ſuccedit
ideò ne à cunctorum Chriſti fidelium labatur memoria, ſub nobilium herorum
& mineralium, aliarumq; humilium perſonarum ſcriptis & teſtimonio con-
firmamus, quia Comes *Conradus de Wazzerburg* aduocatus noſter porrecta dex-
tra ſua aliisq; laudamenti ſacramentis conſtabiliuit & ratificauit, quod nil am-
plius iuris aduocatiæ ſuæ de redditibus noſtris, qui deſenſioni ſuæ ſubiacent, cõ-
tra conſtitutã exactionem, ut in chyrographo Imperatoris eſt impreſſum, & om-
ne feodalaꝝ jus quo dignitas Eccleſiæ noſtræ eſt ſublimata, annuente Domi-
no noſtro Imperatore ſibi conceſſimus tali conditione, ut ſi aliquod feodum
mutatione temporum & hominum vacans fuerit, ipſe præſatus Comes *Chun-
radus de Wazzerburg* jurando laudauit, quod nullum ſine noſtro conſilio ipſo
feodo inueſtiet. Si enim à uia ueritatis deuiauerit, & hanc à nobis communi
conſilio compactionem immutare uel infringere præſumpſerit, omnia à nobis
conſtituta uana ſint & irrita, & cedant iuri Imperatoris. Et ego *Fridericus* Dei
gratia *Rotenſis* Abbas appoſita dextra ſuper Euangelia iuramento confirmaui,
quod ſupradictus Comes *Chunradus de Wazzerburg*, quam diu hæc præſcripta
apud ipſum durare poterunt, aliqua inuexatione, aut inſeſtatione, aut aliquo
malo ingenio in omni iure quod ſibi in Eccleſia noſtra contulimus, nunquam
per nos moleſtetur. Ut autem hæc noſtra conſtituta firma ſint & rata & incon-
uulſa & illibata permaneant, ſigilli noſtri & ipſius Comitis *Chunradi de Wazzer-
burg* aduocati noſtri, & Domini *Vlrici Atilenſis* Abbatis iuſſimus impreſſione
maniri.

CATALOGVS Abbatum Monaſterij *Rhor.*

- HENRICVS *Tyrnolob.* Anno Domini M. CCC.
OTTO. ob. an. 1325. rex. an. 25.
FRIDERICVS *Penznauer* ob. an. M. CCC. XLVIII. 8. Cal. Iun. cum præ-
ſuiſſet an. 23.
HENRICVS II. dictus *Kolb.* rex. an. 13. def. an. 1380.
ECKPERTVS *Krätzl* præf. an. 23. ob. an. 1413.
CONRADVS *Spilperger* præf. an. 24. ob. an. 1447. in octaua S. *Laurentij.*
MATTHIAS *Schöttel*, rex. an. 6. ob. an. 1448. in die S. *Marcelli* PP.
HENRICVS III. *Varcher* cognom. rex. an. 12. ob. 1459.
ALEXIVS *Perualer* præf. an. 36. die 20. Decembr. ob. an. 1485.
IOANNES *Hödl*, præf. an. 13. ob. an. 1498. Calend. Mart.
IOANNES II. ob. An. Dn. 1515. rex. an. 17.
MARINVS ob. an. 1530. IV. Non. Sept. rex. an. 15.
PAVLVS *Edlinger* rex. an. VI. ob. an. 1536.
BENEDICTVS *Stumpf* ob. an. 1567. 3. Non. Ian. rex. an. 31.
MENRADVS *Huber de Wögn*, ob. 28. Apr. an. 1575. rex. an. 8.
CHRISTOPHORVS *Schröttl* rex. a. 14. reſign. an. 1589. mortuus 17. Calend.
Nouembr. an. 1595.
GEORGIVS *Watzlerus* ex *Tegernſee* poſtulat. rex. an. 4. ob. 15. Calend.
Mart. an. 1595.
IOACHIMVS *Anzenperger* rex. ſemian. ob. Calend. Octobr. an. 95.

GEOR-

GEORGIUS *Marinus Widman*, rex. an. 15. ob. an. M. DC. X.

IACOBVS *Algeier*, eod. an. el. resiga. an. M. DC. XV.

IOANNES *Agricola* huius nominis III. modernus Abbas, ex Priore *Schiren*.
an. 1615. 2. Nouembr.

SALVATOR.

Monasterium Ord. Præmonstratensium, Bernhardus, & Fridericus, Berengarij, vulgariter *die Peringer* dicti, Monasterium hoc S. Saluatoris condunt, D. Nortperti sacris iactant, Monachos ex Osterhouen accersunt, Bernhardus de Prampach Episcopus Patauiensis fit autor & dedicat, Auent. fol. 726. Habuit hoc Monasterium olim populares seu seculares Presbyteros & conuersos ex Nobilitate, nullius alterius ordinis aut professionis. Monachi Osterhouenses renunciârunt huic Monasterio erga fratres per Laudum & transactionem, cum confirmatione prædicti Bernardi Episcopi Patauiensis, An. 1299. Extant diplomata in Osterhouen, postea receperunt ordinem Præmonstratensium, & rursus se Monasterio Osterhouensi subiecerunt, cui etiam vniti, aut, vt vocant, incorporati sunt, Anno 1309. secundum diplomata ibi in Osterhouen.

ADDITIONES.

Nouerint vniuersi præsentis paginæ inspectores, quod DEO deuoti fratres¹⁶¹⁵ *Wernhardus & Fridericus* Conuersi, proprietatem prædioli dicti ad *Saluatorem* multo tempore desolati, apud Conuentum Ecclesiæ *Osterhouensis* in augmentum seruitutis DEI emptione rationabili comparauerunt, cupientes id ipsum prædium incultum colere, & in laudem DEI pro viribus ampliare. Idem vero tractatus processum habuisse dinoscitur, hac conditione subscripta nihilominus præeunte. Quod prænominati Fratres Conuersi, & si qui eiusdem conuersationis fratres spirituales eorundem fuerint successores, tenentur inibi omnipotenti DEO famulari & providere pro viribus, vt ibidem diuina officia peragantur. In cuius tractatus euidentiam prædictis Dominis¹⁶¹⁵ *Osterhouensis* Ecclesiæ fratres loci memorati, pro censu mediam libræ *Patauien.* monetæ annis singulis ministrabunt. Si verò prædictum locum per mortem fratrum, aut per absentiam, vel qualicumque casu contingeret desolari, imò si præmissa conditio per fratres in aliquo rumpetur, ex tunc proprietatis boni prædicti, vt compromissum est, ad Ecclesiam *Osterhouensem* liberè reuertatur. Nos igitur *Albertus* Comes de *Halse* affectantes cultum & seruitia Dei, quantum nobis datum fuit desuper promouere, & prosequentes locum & tractatum huiusmodi fauore & desiderio spiritali, ad petitionem fratrum qui auctores huius sunt, iuri aduocatiæ, quod nobis in loco prædicto competere videbatur, sub præmissis conditionibus omnibus & singulis renunciamus liberè & præcise. Et si qualicumque modo vel casu aliquid in præmissis conditionibus nobis laudatis mutatum, cassatum, vel violatum fuerit, ex tunc sicut & ipsa proprietatis ad Ecclesiam reuertitur *Osterhouensem*; sic & aduocatiæ prædicta ad nos seu hæredes nostros liberè reuertatur. Et vt præmissa omnia per nos & hæredes nostros rata & inuiolata conseruentur, decreuimus præsentem literam in testimonium super eo nostri munimine roborare, cum testibus subnotatis qui sunt; Dn, *Fridericus* de

Eglof-